HOMILIARIUM
Salzburg (?), 12. Jh. Seite 61v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift



habuerat sciencia mali · boni u quam acceperat sciencia non amisit.
Et ita semper gratia dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio · atque in omnibus
illud adiuuat, protegit ac defendit · ut non nunquam ab eo quos dicta conatus
bone uoluntatis uel exigat · uel expectet · ne penitus dormienti ·
aut inercia dissoluto · sua dona conferre uideatur. Sequitur sancta lectio.
55 Et manducauerunt · et saturati sunt. Manducant de panibus domini ac piscibus
et saturantur · quia audientes uerba dei · et exempla intuentes · ad profectum
uite correctioris · per hec excitari atque exurgere festinant. Quibus apte
congruit illud psalmiste. Edent pauperes et saturabuntur · et laudabunt
dominum qui requirent eum. Pauperes posuit · qui mundi istius illecebras contemp
tu ditissimo respuerunt regnum dei esurientes. De quibus in euangelio alias dominus
dicit. Beati qui esuriunt et siciunt iusticiam · quoniam ipsi saturabuntur. Ideo addidit in psal
mo et saturabuntur. Saturari et enim non potuerunt · nisi quos talis possidet esuries. Et sustulerunt quod su
perauerat de fragmentis · septem sportas. Quod turbis saturatis superat apostoli
sustollunt · et septem sportas implent · quia sunt altiora perfectionis precepta.
et potius exortamenta et consilia · que generalis fidelium multitudo nequit
seruando et implendo attingere · quorum executio illos proprie respicit · qui
maiore sancti spiritus gratia · plenius generalem populi dei conuersationem · mentis atque o
peris sublimitate transcendunt · ut sunt illi · qui in cenobiis sub alieno
imperio degunt · qui PRAKTICEN id est actualem uitam bene executuntur ·
atque in ibi diuturna afflictione carnis uicia conterentes · ad specialem diuine
contemplationis sciencia quam THEORETICEN appellari fas est edocati ·
ultra generalem humane conuersationis possibilitatem exurgentes · sine aliquo